



13

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**SECESSIONIBUS**  
**HUMORUM,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU,  
PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. OR-  
DINAR. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FA-  
CULT. MEDIC. h. t. DECANO SPECTATISSIMO,  
DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO  
*omni Observantiae atque Honoris cultu et aetate colendo,*

**PRO GRADU DOCTORALI,**  
Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis,  
More Majorum Solenni obtinendis,

*Ad d. Aug. M DCC XII. horis ante & pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI  
Publico Eruditorum Examine submittet

**CAROLUS Gromhold**  
Rochl. Mifn.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

SECTIO I

HUMORUM

LECTORIS ACADEMIAE  
MEDICINAE  
D. P. RICHARDI WILHELMI

IN ACADEMIA  
MEDICINAE  
D. P. RICHARDI WILHELMI

PRO GRADU  
DOCTORIS  
MEDICINAE

PRO GRADU  
DOCTORIS  
MEDICINAE

IN ACADEMIA  
MEDICINAE  
D. P. RICHARDI WILHELMI

CAROLUS STUMPF

LEIPZIG  
PUBLIUM





## PROOEMIUM.



**B**onis bene partis, recte  
uti, solum est medium, quod fru-  
ctum exoptatum præbeat; Huic  
scopo quandocunque industriam  
debitam adhibent mortales, asse-  
quuntur felicitatem illam, quæ om-  
nium cœptorum felicem finem  
complectitur, gaudium, & *ἀτυξίαν* è rebus bene ge-  
stis. In Physicis contemplationibus duo esse, veluti  
prima & suprema omnium universi rerum, Materiam  
Motum, nemo fuerit, quin intelligat, nisi studii hujus  
prorsus imperitus. Interim non injusta, puto, est du-  
bitatio, an etiam plerique, qui Physicæ studio animum  
adjecisse videri volunt, utrarumque harum rerum di-  
gnitatem, ita prudenter ad animum revocent, ut quid  
in unaquaque earum, verè considerandum veniat, pari,  
& imprimis debita, solertia, vestigare & perpendere al-  
laborent. Circa materiam quidem omnes propemo-  
dum admodum solliciti sunt; quamvis neque hic etiam  
ultra valde generales circumstantias assurgere valeant:

A 2

De

De Motu autem, præter paucas quasdam historiolas, parum in animum inducunt differere, contenti supponere, quod singulis materiis, certi quidam, & imprimis proprii, motus, inditi sint atque alligati, qui illas ita, & non aliter, agant atque ferant. Quamvis autem hic etiam multa adhuc hæreant obstacula, imprimis circa Motus manifesto transitivos; adhuc major tamen implicatio passim restat, circa machinales illas motuum rationes, quæ longe apertius à Regimine motus Organico, per certas machinas perpetrando, proficiunt. Ubi imprimis immanis illa diversitas, inter activam directionem talium motuum, & passivos eorundem ortus, adeoque activos effectus, & passivos eventus, passim intercedit. Sunt harum implicationum luculenta valde exempla, imo documenta, corpora, quæ usitata loquendi formula, viva, viventia, vitâ prædita, dicuntur. In his enim cum non solum pleraque, sed imprimis præcipua, motibus ita gerantur, ut nulla usquam materiarum necessitate directâ, sed solius finis necessitate, fiant; adeoque si finis respectus seponatur, tam non fieri, quàm fieri, possint: elucet inde tanto magis, adeoque etiam justa contemplatione tantò prudentius distinguenda venit, ante omnia Directio illa, quæ propter talem finem, motibus illis adhibetur. Quorum motuum porro, iterum curiosè discernendus venit, in materia rectè constituta, simplex & directus effectus: ab indirecto & accidentaliter eventu, quando materiæ, bonis motuum destinationibus, & convenientibus directionibus, non ubique simpliciter obsequuntur. Quorum rerum utut numerosa passim occurrant exempla, placet tamen nobis in præsentem, uni tantùm ex illis immorari, & il-

& illud, in Medicæ rei usus, enucleare. Obtingere sæpenumero hic illic in corpore humano, præter consuetum sano statui ordinem, peculiarium quorundam humorum, tam secretiones, restagnationes atque collectiones, quam excretiones à reliqua humorum massa secretorum humorum, notissimum est. Illud autem non minus ignotum, quibus causis hujusmodi sive effectus, directi, sive eventus, indirecti, adscribendi videantur. Prævalet hic communius, ut fere rebus mortalium familiare est, deterior sententia; quasi tales sequestrationes, sive simpliciter activa quadam ratione, directe procedant: sive ita passiva, ut nihil activi concurrat aut subfit. Dum interim, paulo penitius consideratis rebus, neutra harum sententiarum, imprimis in illis casibus, quibus applicantur, locum invenire possit. Conabimur hujus rei veritatem demonstrare, DISSERTATIONE INAUGURALI, de SECESSIONIBUS HUMORUM: de quibus ostendere speramus, quod longe frequentissime, prima causa, & directa occasio ad eandem, magis posita sit, in activa quadam directione massæ humorum, ad certa loca aut regiones corporis, quam à passivâ eorundem, sive congregatione, sive secessione è totius massæ latifundio: magis à motu, propter aliam portionem M. Sææ atque instituto; quam propter illos secedentes humores: nedum ab illis humoribus ipsis, suscepto atque facto: Magis, inquam, per consequentiam, supervenientem organico regimini motus humorum, quam per efficaciam quamcunque simpliciter mechanicam, inter proportionem humorum, meatuum, & appulsum, dividendam.

Quæ res, cum tam Pathologiæ verè Medicæ, quam ipsius Therapiæ, longè aliam faciem exhibeat, adeoque usibus artis, & ægrorum commodis luculentam faciem præferat: merito supplices veneramur Divinam Sapientiam, ut pro harum rerum veritate, luci publicæ afferenda, intellectum nostrum gubernare, & propositum ad utilem finem dirigere, clementissime dignetur.

Thes. I.

**D**E SECESSIONIBUS HUMORUM cum Dissertatio nostra agere, præ se ferat, sine dubio nobis incumbit nominis hujus rationem primo loco reddere. *Secretionis* nomen æque, ac res ipsa, imprimis hodie, vix potius amplius difficultatem aliquam involvere confidimus; *Secessionis* autem negotium, nescio an pari evidentia, & imprimis quidem hodie, polleat.

Th. II.

Est autem *Secessio* humorum, *peculiarium*, è reliqua universa *massa*, *duorum* generum: Una, quando humores aliqui, aut aliquid humoribus qualitercunque *immixtum* & adhærens, in tali dispositione adhuc existunt, ut non statim & *immediate*, *secretioni* simplici obsequantur: sed prius opus habeant *evolutione* quadam, ut à reliquis humoribus *recedere*, adeoque *secretionibus*, ab iisdem plane separari possint. Hanc rem, prudenter & perite, *Veteres* notarunt vocabulo *Cocktionis*: opposcentes illi *cruditatem*; ubi nempe velut adhuc *immutata* ad *secretionis* successum, qualitercunque adhuc *innexa* reliquis humoribus, sit talis materia: unde monitum illud practicum ipsis natum est, prorsus aureum: *Cockta, non cruda, movere* convenire. Quo nempe dicere voluerunt, sicut intempestivum sit, *movere* (expellere, seu excretum velle) quod nondum sit, *mobile*; ita



ita *mobilitatem* metiendam esse, è *secessione* materiarum è *nexu* cum reliquis humoribus. Sed de hac *secessione* Dissertatio nostra agere non intendit.

Th. III.

*Secunda species secessionis*, aliquorum humorum à reliquis, respicit *certos* solum, cum M. S. perpetuo *confusos*, humores; quos vulgo sub *feri*, quin etiam *lymphæ*, nomine complectimur. Hi humores, cum aliquando, tam *tempore* & *quantitate*, quam *loco*, minus usitatum divortium à reliqua massa faciant; & vel *resignent* alicubi præter solitum, vel plane *erumpant* atque diffiluant, constituunt præcipuum nostræ tractationis *Subjectum*: *Objectum* autem ejus erit, *modus* atque *methodus*, quibus humores hi ad talem *secessionem* occasionem nanciscantur.

Th. IV.

Quæ res ut tanto clarius enucleari possit, memori mente tenendum venit, quænam differentia intercedat inter *sanguinem propriè* dictum; *lympham in se* consideratam; *serum excrementitium* cum omnibus suis *partibus*, *bile*, *Urina*, *mucò*, *aqueositate*, tenuioribus *halituosis* materiis, ut in se spectatum & inter confusaneam harum rerum colluviem, quæ *massæ sanguineæ* nomine vulgo insignitur.

Th. V.

Hæc M. S., omnes has res inter se *coagitatas*, & veluti *quassatas*, comprehendens, est illud, quod *circulo* Sanguinis, per cor & arterias, ad omnes porosas partes corporis perpetuo fertur, impellitur, transpellitur; & in *venas* adactum (factis hinc inde aliquibus secretionibus) denuo ad eas relatum, eidem *circulationi* denuo subijcitur.

Th. VI.

Ex hac consideratione, liquido comparet, quod neque *lymphæ* neque *serum*, *seorsim* ferri, aut ad partes quasilibet appellere possit, nisi *una* cum Sanguine. Adeoque, si vel maxime alicubi, in certis quibusdam locis atque partibus,

tibus, præter simplicem usitam proportionem, imprimis *serum*, copiosius ab hac massa *secernatur*: & imprimis in *locis* tali secretioni minus consuetis, & proprie destinatis, aut debitis: minime intelligi debeat, quasi *serum* hoc, per se & *immediate*, ad locum talem, & effectum talem, sive tendere possit, sive ruere: sed necessario cum *tota massa* eo feratur, & non nisi totius hujus circumstantiis peculiariter eo conspirantibus, ex illa *secessionem* facere possit. Cum enim *serum*, tali M. Snea non solum æqualiter *interspersum* & per illam *expansum*, concipi possit; absolum certe est concipere, quasi quidquam ejus, nedum insignis quantitas, ut non raro evenit, è longinquo, per reliquam Massam, ad peculiarem aliquem locum festinare, & peculiarem ita progressum instituere, valeret: tanto minus, cum nullæ adsint circumstantiæ, quæ tale quid supponere aut agnoscere suaderent, nedum cogere velut, & exigerent.

Th. VII.

Interim præsto sunt eventus, exemplis non solum variis, sed frequentibus etiam, & vix non quotidianis; Dum v.g. jam circa *caput*, *Gravedines*, *Coryzæ*, *Infarctus Catarrhales*, *Erysipelatodes*, *Sputationes*, *Tonsillarum inflationes*, *Tussis Humide*, *Catarrhi suffocativi*, *Asthmata humida*, *Vomitus serosi & pituitosi*, *Diarrhææ*, *Diureses*, *Sudores*, *tumores Erysipelacei*, *Phlegmonodes*, *Oedematodes*: partim *excretiones*, partim *restagnationes*, obtingunt.

Th. VIII.

Neque hoc solum, quod optime notandum, ita simpliciter; quod nempe valde usitatæ confusioni ansam præbet: sed *periodis*, sive alias plus minus *statis*, sive per *animi pathemata* concitandis. Quæ tam parum, quam quicquam tandem aliud, efficere possent, ut alicujus talis materię *seorsim*, è tota reliqua *massa*, peculiaris *concuratio*, *impulsio*, aut *propulsio*, commoveri valeret.

Unde

Unde certe alibi quærenda venit eventuum talium *impulsiva* velati causa, quæ non tam ferum *seorsim*, nedum *portionem* feri, *falsam*, *mucidam* privatim, quam *totam M. S.*, ad talem motum incitare possit: i. e. efficere, ut *tota M. S.*, tali *tempore*, ad talem *locum*, majore copia compellatur: in quo deinde è majore copia *totius Massæ*, etiam major quantitas *feri*, per arctiores meatus, à reliqua *Massa* longius evagari, atque adeò latius diffundi, possit.

Th. IX.

Quam rem antequam pressius investigemus, necessum est omnibus modis, ut veritas rei ipsius, sub quibus circumstantiis, hæc talia evenire sentiuntur, in numerato habeatur. Commendavit hanc jam pridem, maximam partem, ipse *Hippocrates*, aureis illis aphorismis posterioribus Sect. III; quibus agit de *Morbis Ætatum*, ubi Aph. XXIV. *Pueris*, evenire notat, *tusses*, & *aurium humiditates*; quibus adjiciendæ veniunt, è notissima experientia, restagnationes ferosæ ad *ulcerationem* procedentes, *crusta lactea*, *achores*, *mucositates narium*, *coryzæ*. *Juvenibus*, *Phibism*, *ulcerationes* nempe tero acri sustentatas: Alius jam progressis, *alvi profluvia diuturna*: *Senioribus*, *spirandi difficultatem*, *catarrhos tussiculosos*, *strangurias*, *Dysurias*, *Cachexias*, *narium humiditates*. Quibus accenit merentur, *junioribus* imprimis ætatibus facilius evenientes, *scabies*: Provectoribus, *sudationes æquinoctiales matutine*, *pedum sudores*. Sexui verò *feminino*, hæc omnia longè *sepius* & *facilius* evenientia, ad ipsa usque *Oedemata*, & tandem *Hydropes*. Affectus certe, *feri* imprimis restagnationi copiosiori, circa talia corporis loca, in acceptis ferendi.

Th. X.

Neque verò negligendi hic sunt, tam effectus quam eventus, *Evacuationum Sanguinis*; ut in *femine spontaneorum*, ita in utroque sexu *arbitrariarum, artificialium*. *Efectus*, inquam; ita enim vel ipsa plebs novit ab experientia,

cia, quod ejusmodi *frequentioribus*, *importunioribus*, *consumacioribus*, affectibus, imprimis circa *caput*, *scarificationes* veluti in *consuetudinem* adductæ, adeo ingens solatium præbeant, ut satis familiaria occurrant exempla, ubi per hoc remedium, ab ejusmodi *serosis* restagnationibus circa *caput*, *fauces*, imo *pectus*, liberari contingat sic affectos. *Eventus* autem, in muliebri imprimis sexu familiarissimè sese offerunt in eo, quod foeminis incommoda talia *serosa*, imprimis tunc quàm maximè ingruant, quando usitatae illarum excretiones *sanguineæ*, liberum suum secessum vel imminutum sortiuntur, vel penitus amittunt.

Th. XI.

Accedit autem his affectibus, & vocat ad se justam attentionem, illud, quod jam tum *Hippocrates*, dum *ætatibus*, aliquos hujusmodi *serosos* affectus assignat, circa certa talia corporis *loca*; simul recenset longè *plura* affectuum genera, circa illa eadem *loca*, talium *ætatum* subjectis, evenire solita, quæ non tam a *sero*, quam à *sanguine*, iisdem in *locis* restagnante, pendent & foventur. Unde primis ætatibus, *Aphthas*, *Vigilias*, *Tonsillarum inflammationes*, *Sanguinis è naribus fluxiones*, tribuit: adde, *Ophtalmias*, *Aurium acutos dolores* seu *Otalgias*, *Cephalalgias calidas* & lancinantes, *Dentium acutos dolores*. *Juvenibus*, *Sanguinis spuitiones*, *Pleuritides* & *Peripneumonias*: adde, *Rheumatismos calidiores*, & *Arthritides* circa *superiores artus*, *Coryzas acres*, *Anginas*: in *Femineo* sexu, *Erysipelata* circa *caput* & *cervicem*, *Vomitus cruentos*, *Inflammationes ventriculi*: *Senioribus*, à *virili* jam ætate, *Hæmorrhoides*, *Nephritides*: adde *Mictus cruentos*, *Rheumatismos*, *dolores Ischiaticos*, *Gonagras* & *Podagras* acuti sentus, cum inflationibus *Erysipelaceis* articularum talium.

Th. XII.

In quibus omnibus, memorabile, & exactius notandum, est, quàm ut jam tetigisse sufficere posset, quod tam  
*serose*



*serose* illæ stagnationes, quàm *sanguineæ* tales, in eo conspiciuntur, ut secundùm *ætates*, in *iisdem regionibus* eveniant: eâ tamen differentia, ut quibus subjectis *floridior* est sanguis, minus abundans *seri* veluti prædominante quantitate, iis *sanguineæ* tales stagnationes, cum suis confectariis, manifestius obtingant: quibus autem *serosior* est, iis *serose* magis stagnationes, talibus *ætatibus*, in similibus *locis*, eveniant.

Th. XIII.

Has res si jam, seposita omni scrupulosiore Speculatione, ad animum revocemus, emerget quasi spontè, talis consideratio, quod quidem veluti *primariò*, *sanguis*, ad ejusmodi *loca* adigatur, ab aliis locis ad hæc, restringatur, & circa hæc *congeratur*, *primariò*, *sui ipsius* causa; ut nimirum in talibus locis, *Hæmorrhagiâ* exprimatur, adeoque *abundantia* ejus minuatur. Unde *Pueris* & *Adolescentibus* per *nares*; *Juvenibus* per *pectus*: *Fœminis* mediocris ætatis, etiam per *ventriculûm*, tantò magis autem per *uterum*: *Viris*, per *Hæmorrhoides*: *Senibus* per *Micrûm cruentum*, rarò, non tamen nunquam, per *crurum varices*, exprimitur.

Th. XIV.

Quando *eruptio* ipsa non succedit, manente tamen *contentione* congestionis, & restagnatione, minus *Serosi* sanguinis; affectus illi, partim acutè *dolentes*, partim *ardentes* & æstuosi, partim prorsus *inflammatoriûm*, *Rheumatici*, *Erysipelacei*, *Arthritici*, *Apostematodes*, *Phlegmonodes*, enascuntur.

Th. XV.

Quando verò *serosior* est sanguis, licet propriè sui maximè causa, *sanguinis* inquam sui ipsius, facta sit *congestio*, versus & circa talia *loca*: fit tamen sub illa restagnatione ejusque *morâ*, ut, si sanguis ipse non possit una percurrere, *portiones* sanguine *stricte* dicto *tenuiores*, *serosa*

colluvies; tenuiores meatus interim perreptet, & hac ratione in talibus locis, à sanguine *Secessionem* faciat: seu tunc ad *excretionem* usque pertingat, *Coryzâ*, *faucium* impuris humiditatibus, *tussi humida*, & *screatu* multo, *Vomitu*, (ex Oesophago & ventriculo) *seroso-humoso*, *Diarrhœis*, &c. aut *externè*, *sudoribus*: seu sine exitu pleno, solum *restagnando*, *Erysipelata* valde turgida (post tenuissimi sanguinis repentinam discussionem, *Oedematofum* tumorem relinquentia,) *Rheumata* subrumida, *Oedemata* partium, *sudores partiales* denique subsequentes, post se trahat.

Th. XVI.

Ubi insuper notandum omnino venit, quod, cum *serosa* colluvies, propria sua habeat *loca*, ubi ordinarie excerni possit, dū *sanguis* stricte ductus, præter dicta illa *Hæmorrhagica* *loca*, nec *debet*, nec *solet*, (præter sœminas, suo tempore) exitū fortiri: etiam nulla usquā *necessitas* appareat, quam ob rem *serum*, sive spontè, alieniores tales vias quærere deberet, sive *propter se ipsum*, eò *dirigi*, & cum *tota massa* eò impelli. Dum autem *Sanguinis* utique sinceris excretionibus, in talibus locis quadrantes sunt viæ; ibi, si sanguinis *stricte* ducti, e jusque *ventilationis* causa, *tota massa* ad talia *loca* dirigitur, *ocasio* solum suppeditatur *serosæ* colluviei, ut sub tali molimine, plane *per accidens*, illa ejusmodi *secessiones*, & tandem exitus ipsos, fortiatur.

Th. XVII.

Antequam autem aliquid loquamur de *organico-mechanico* modo fiendi, quomodo *massa* humorum, ad talia *loca* *dirigi*, tam possit, quam soleat; non est certe silentio involvenda efficacia peculiaris talium *secessionum*, imprimis ad exitum liberiores pervenientium; cujus intuitu illæ imposterum etiam aliquanto magis *directo* scopo, *propter se ipsas*, inquam, ita suscipiuntur atque instruuntur. Subest nempe in tali casu ingens vis *Adsuæitudinis*. Adeo, ut etiam *serosæ* tales *evacuaciones*, licet primo *per accidens* factæ,

factæ, quando tamen liberio rem exitum fortitæ sunt, post-  
 hac etiam ad *erroneos* tales conatus denuo suscipiendos,  
 naturam veluti seducant. Cujus rei documentum, non  
 obscurum suppeditant, *fonticuli* bene fluentes, aut *ulcera*  
 manantia *diu* gestata. Quibus *evacuacionibus*, quam con-  
 tumaciter natura *adsuescat*, & *suppressionem* illarum etiam  
 manifestis conatibus congestoriis iterum expedire con-  
 nitatur, notius est è Praxi, quam ut prolixa commemorati-  
 one indigeat. Sed, uti dictum, *Adsuetudinis* hi potius  
 sunt effectus, quæ communissime etiam minus recte con-  
 venientibus, nedum necessariis simpliciter, rebus, quam  
 facile subjiciat, imprimis *humanam* naturam, licentiæ ni-  
 mium quam indulgentem, nihilo minus notum est.

Th. XVIII.

Ex allegatis hucusque veris circumstantiis, & *nexu*  
 vero *causarum*, *concurrentium* atque *conspirantium*, ad mi-  
 nimum tanquam *historice*; nempe, quomodo *Secessiones*  
 humorum, *serosorum*, & tenuius *cruenti* feri, eveniant il-  
 lis imprimis *ætatibus*, illis *locis*, illis *prægressis*, etiam ma-  
 nifestius *sanguineis*, sive *exoneracionibus*, sive ad has *appa-  
 raribus*: Proximum est, ut aliqua allegemus de *modo fiendi*,  
 quo hujusmodi *congestiones*, & tunc sub illis, *Secessio-  
 nes*, contingere possunt atque solent. Innititur hic sim-  
 pliciter *Motui Tonico*, tanquam vero *directori*, *particula-  
 rium* massæ sanguineæ congregationum, à reliquis locis &  
 regionibus corporis, ad certa quædam alia compellenda-  
 rum. Non putamus autem opus esse, ut prolixe, rem to-  
 ties jam velut in ipsos sensus ingestam, & velut ob o-  
 culos pictam, denuo repetamus; poterit potius sufficere,  
 solum provocare ad manifesta phænomena, affectus tales  
 stipantia.

Th. XIX.

Ita enim, quid familiarius est, & vulgo, è quotidiana,  
 imò passim propria, experientia, notius, quam stricturæ

tales *tonicæ* per peripheriam corporis, nempe molles hujus partes musculosas, atque ipsam cutim, quæ *duobus*, in sensus ipsos incurrentibus, modis atque phænomenis, sese exerunt; nempe, *primo*, adspectu illo plus minus *exzenuato*, quem vulgo vernaculæ formula expriment, die *Personn sehe übel aus*: nempe non tam solum *pallore* conspicuo, sed maxime insolita tali personæ veluti *macie*. Unde populares illæ quæstiones, *ob der Person etwas sehle / sie sehe übel / fräncklich / aus*. Utroque nempe effectu, *toni* partium magis adstricti; unde è cute, *sanguis* ita repellitur, ut non possit, penitioris sua insinuatione, effectum illum floridioris *coloris* conciliandi, in illa exerere; ipsi autem muscoli solito plus constricti, *subsidentiam* talem, & veluti *maciem*, repræsentent.

Th. XX.

*Secundum* autem Phænomenon, patientium imprimis sensum manifesto afficiens, est sensus ille *frigoris horridi-duli*; quamvis ipsis etiam attingentibus deprendendi: de quo proinde iidem nostrates memorant: *Es seye ihnen so frostrig / überlauffe sie ein Schauer um den andern / unde etiam peritiores mox prælagiunt, es gehen Flüsse an ihnen um*; imo, si insultus tales importunius corpus percurfant, quod quidem communiter in vero tali casu faciunt, prædicunt: *Sie glauben / sie werden die Nase bekommen*. Cui rei etiam vere à post facto suffragatur effectus, talis modi stricturarum tonicarum ab externis causis inductarum. Dum quotidiana occurrunt hujusmodi exempla, ubi v. g. sani satis de reliquo, plethorici, imo florida sanitate utentes, quando *calente* corpore, pedibus atque cruribus *frigidam* a quam subeunt, & diutius illi immorantur, incurrunt inde tantam *regurgitationem* sanguinis ad caput, ut inde *cephalalgias* etiam cum inflatione capitis, venarum circa illud *turgiditate, rubore*, non raro subpurpureo, & ut vulgo loquuntur, bruno, compareant affecti, cum *sonnolentia* quoque



que, & *vertigine*. Illis autem, qui jam sunt ad similes res earumque efficaciam, *sensibiliores*, ita notum hoc passim auditur, ut inde commemorent, Sie müssen die Sphen-  
 ekel wohl in acht nehmen / daß sie sich nicht erkälten (quamvis apud aliquos hæc cautela etiam latius per reliquum corpus sese extendat) Sie müssen sich sehr wohl vor der Kälte in acht nehmen / sonst bekommen sie es stracks in den Kopff. Ubi nempe vel è puerili illo experimento *horripilationis* particularis, quod appellant es überlauffe sie eine Gänse Haut / notissimum est, quod ad frigoris sentum, partes corporis illæ mobiles stringantur seu contrahantur. Jam vero, quando etiam sponte naturæ, uti nimium quam familiariter in hujus modi casibus contingit, partes sæpe nominatæ molles, *poroso-fibrosa*, tacite ejusmodi *stricturis* afficiuntur, sequitur hic, etiam vera *mechanica* necessitate, par effectus, nempe congregatio sanguinis ad alia loca, quando ille à porosis partibus diversorum locorum, *strictura* harum proportionata, intercluditur, & alio reprimitur.

Th. XXI.

Nequaquam tamen nos ipsi quoque *tonici motus* universam efficaciam, & imprimis in hoc negotio *Seccessionis* humorum, simpliciter collocamus in nuda ejus actione *audæ*, seu majore adductione atque *strictura*. Cum enim *motum* hunc, *motum* inquam utique satis perspectum habeamus, & in conspectum aliorum producere, pridem susceperimus, satis utique scimus, tam *stringendi*, quam *relaxandi*, compotem eum esse. Quæ certe res tanto prudentius considerari postulat, dum utique *strictorie* intentiones ejus, uti passim latius patentibus phænomenis sese sistunt, ita tanto facilius quoque sensibus se insinuant. *Tenuiores* autem illi *relaxatorii* ejusdem effectus, cum sensibus non ubilibet æque sint jobvii, ratione tamen, certe nullo modo arguta aut affectata, satis facile comprehendendi possunt.

Th.

Ita enim quando M. S. ad regionem aliquam corporis, è reliquo hujus ambitu, copiosius compellitur seu *restringitur*; fit satis sæpe & familiariter, licet non æque statim ab initio, ut molestia illa à tali *stagnatione* incumbens, levetur, emissione ad minimum portionis alicujus *ferosa*, per meatus, discessum hujus à reliqua massa, imò exitum prorsus, concedere aptos, *nunc* expressè, in talem *finem*, aliquantisper *relaxatos*. Exemplar hujus rei, quodnam manifestius æque, atque familiarius occurrit, quàm *Gravedo*? Certè, ut in rebus experientia semper respiciendum est ad multiplicia, & constantia circa rem eandem tentamina atque deprehensa phænomena; Solemus propterea maximi facere, atque omnibus solertibus observatoribus commendare, talia, quæ quantum usquam fieri potest, notorietate eluceant. Inveniuntur talia non contemnendo numero apud ipsum *vulgus* hominum. *Coryza* Græcis, *Gravedo* Latinis, nota sunt nomina; interim nequaquam exprimunt rem secundum ipsam veritatem eadem ἀνοχία uti *vulgus* nostrum vernacula nostra rectissimè exprimit, distinctionem inferens rei consentaneam, inter, *Stoß Schnupffen* & *Schnupffen* simpliciter, aut cum paraphrastica expressione, *flüssender Schnupffen*. Quoties autem indies obtingit, ut talis *Gravedo*, quod nomen eminenter *resistantem* illum stagnatorium affectum notat, *ein stoßender Schnupffen* hominibus obtingat; cui demum *effluxus* talis, aliquando post unum vel alterum diem, largus superveniat. Ubi certe frustra sunt, crassiores illæ speculationes, quasi in tali casu saltem denique *passiva* talis perruptio, fluxum efficiat. Cum communiter, nulla planè sit proportio, inter prægressam stagnationem, & subsequenter fluxionem, seu effusionem. Cujus etiam rei alterum documentum, *tenuis & acris Coryza* præbet, sepiissime certe simul *pauca*, ubi si nudæ talis passivæ eruptionis ulla habenda

benda effēt ratio, necessario tenuior talis materia, nimio  
*majorē* quantitate emanare deberet.

Th. XXIII.

Tantò magis autem, totam scenam de *passiva* tali eru-  
 ptione, evertit, familiarissimum illud, dum multis homi-  
 nibus, manifesta talis congregatio atque *stagnatio* copiosa  
 Mæ Sæ circa *caput*, cum *inflatione* totius hujus, tanto lu-  
 culentius autem *faciei*, & *vasorum*, *cephalalgias*, valdè *ten-*  
 *dentes* atque *prementes* parit, sine ullo tamen *Coryzæ* even-  
 tu: quibus interim iisdem subjectis, alia vice, *Coryza* eve-  
 nit, citra ullam tam manifestam atque copiosam *restagna-*  
 *tionem*. Dum interim utique tam clarum est, quam ipsa  
 lux meridiana, quod tam illa *cephalalgica* *stagnatio*, non  
 sit sanguinis *seorsim* considerati, sed Mæ Sæ; quam hæc ma-  
 teria, quæ *Coryzâ* effunditur, non tam *seorsim* ad caput  
 pervenire potuerit, aut tanta copia illic coacervari, quam  
 cum M. Sea, saltem largius eò *directa*, eodem feratur, &  
 nulla probabiliore ratione, tantò largius ibi effluat, quam  
 viis hujus, imprimis exitui aptis, *relaxatis*: & quidem po-  
 tius *active*, quam *passive*; cum communissime ad *passivam*  
 talem laxationem, nempe ingentem distensionem, phæno-  
 mena *copiæ* *stagnantis*, nequaquam consentiant.

Th. XXIV.

Sed satis est Theoriæ; e qua solum illud ad *Medicum*  
*Therapeuticum*, usum servamus, quod congestiones tales  
 Sæ Mæ, tantò luculentius propemodum circa *caput*, sicuti  
 non possunt fieri, nisi totius M. Sæ, non autem *Serosæ*  
 colluviei *seorsim*; ita etiam nimio probabilius, dum fiunt,  
 magis *directe* *instituantur*, propter ipsum *sanguinem*, ejus-  
 que exoneratorem aliquam *ventilationem*: quam propter  
 alium quemcunque humorem. Per *indirectum* autem ma-  
 gis, & veluti *per accidens*, *Secessionem* talem *serosam*, &  
 tandem emissionem, post se trahant. Nisi ubi *Adsuētudi-*

ne tandem introducta, etiam aliquando ad hunc scopum accommodantur.

Th. XXV.

Nequaquam autem certe hæc consideratio parvum momentum adfert, ad longe aliam methodum *Therapeuticam*, quam fere communiter his rebus applicatur. Quid enim usitatus est, quam *Secessiones* tales, & tandem exitus, *serosorum* humorum, jam simpliciter *quantitati* illorum, jam polymorphis *qualitatibus* eorundem, assignare? Ubi deinde necessario, tota intentio, directe ad *feri* vitia in se applicatur: ne quidem considerationem aliquam obtinente vitioso *motu*, sed simpliciter ut a *posteriori* ad *novos eventus* rejecto. Recte quidem in eo, quod satis agnoscatur, *motum*, ut à *priori*, huc *dirigentem, sero serosim* non posse evenire: Sed male in eo, quod sub talibus conditionibus, sub qualibus tale serum deinde excernitur, tanta *quantitate*, & tanta *mucositate*, ut in *Coryza*, plane non posset procedere, ex *ordinaria quantitate* Mæ Sæ, ad hæc loca appellente: nedum ut, quod est in illa hypothesi, de tam parvo *tempore* in aliud, detentione sua, imo infarctu, *spissitudinem* illam subire valeret. Quæ omnia interim nimio planiora fiunt conceptui, quando potius copiosior *appulsus* totius Mæ Sæ, & major *activa relaxatio* meatuum serosorum, consentientibus imprimis pluribus phænomenis, attenduntur.

Th. XXVI.

Ubi nimirum iterum memori omnino mente tenenda veniunt, parallelæ illæ, totius Massæ, omnino ut *sanguineæ, congestiones* adhæc eadem *locis*, ubi, in comparatione longè *rarius, serosæ* tales *secessiones* eveniunt. Quam rem rectissime jam dudum ab ipso etiam *Hippocrate* notatam esse, nempe è quotidiana experientia, supra animadvertimus. Cujus nempe rei *nervus* in eo maxime consistit, quod circa talia *locis*, è talibus Mæ Sæ *congestionibus* ad

ad illa, ita variæ species pathematum pullulent, ut inter plures earum, *serosa secessiones* vix unum aut alterum schema efficiant: quantumcunque etiam hoc schema, in peculiariter dispositis, forte sæpius occurrat, quam reliqua illa, à Massa ut languinea, seu *sanguine* potius, quàm *serosa* colluvie, pendentia. Quamvis revera, si Praxis quotidiana, non secundum mentis fictionem sed experientiæ veritatem, debite æstimeretur, neque hoc ipsum cum rei veritate pariter consentiat.

Th. XXVII.

Si enim consideremus, quàm numerosis, & familiaribus exemplis, sese offerant, in diversis corporis locis, *Hæmorragiæ*; tum *dolores*, imprimis *cephalalgia*, *inflammationes*, aut ad minimum *æstuosi Rheumatismi*, *spastici affectus*: iterum circa *caput*, *Ophthalmiæ*, *Otalgie*, *Odonalgie*, *Anginæ*; in *pectore*, *russes siccæ*, *asthmata sicca*, imo *spastica*, *dorsi*, *lumborum*, *coxendicum*, *dolores*: certe vix ipsa *Coryza*, quantumlibet passim satis obvia, nedum *russes humide*, cum harum rerum frequentia, de tam insigni prærogativa satis justam contentionem prosequi poterunt: tanto minùs autem, si externè concurrentes causæ, *relaxationem* tonicam magis promoventes, removeantur, & magis ad simplicius *interiores* causas, animus advertatur, quomodo in aliis! antedicta pathemata, *sanguini* potius tribuenda, producant, quam in aliis talia, quæ *sero* jure meritoque assignanda veniant.

Th. XXVIII.

Ex his itaque, veris atque solidis, ipsi Clinicæ experientiæ consentaneis, harum rerum considerationibus, non potest non dilucescere, quod in numerosis plane hujusmodi casibus, etiam *serosarum secessionum*, justissima æque, atque utilissima, intentio, dirigi debeat, potius ad *sanguinearum*, quàm talium, *congestionum*, intentiones, quam quantumcunque magis *directe*, *serosarum*, sive *congestionum*,

five Eruptionum. Quam ipsam rem cum tanto magis illustret, proventus hujusmodi affectuum, *feminino* sexui tanto magis, quam *virili* familiaris; in quo nempe longe familiariores quoque sunt atque debent esse *sanguinis* ventilationes; dilucescit inde tanto clarius, etiam *justitia indicationis* illius, quæ magis ad *ventilationem* humorum, & imprimis *sanguinis*, in *quantitate* sua, respiciat, quam ad qualemcunque *correctionem* necessariam, *qualitatis*, imprimis *serosorum seorsim*, humorum.

Th. XXIX.

Unde non potest non resultare, paradoxum, tam antiquiori, quam imprimis recentiori scholæ Medicæ, minus ad hunc diem probabile; quod nempe, pro *curatione* multarum talium *congestionum*, quæ occasione *secessionum* interdum manifestius sese exerentium, *serosarum*, simplicius pro *serosis* affectibus habentur, *fundamenti* loco quam sæpissime haberi debeat talis methodus, quæ *causam* congestionum ejusmodi *ut sanguinearum*, præoccupare variat. Ut nempe adeo, si ipsæ *congestiones*, *sanguinis* gratia præcipue coorientes, imposterum cessent, etiam *secessiones*, congestionibus talibus *succedentes*, eo ipso emanent.

Th. XXX.

Non dubitamus autem, quin plerique discreti lectores, ita facile intellecturi sint, quorum intentio nostra collineet. Nempe primo omnium, ad *ventilationem sanguinis*, per maturas V. Snes; *maturas* inquam, *tempore*, & *loco* debito institutas. Hac enim ratione, dummodo reliqua post hac decenter ordinentur, & *methodo* iusta subsidia instruantur, verum *fundamentum* jacere licet, ad *discussiones* faciliores, & æquabiles, potius circuli *sanguinis*, *distributiones*, quam tentandas hujusmodi particulares *directiones*, ad loca talia, ubi proprie *Sanguinis* exonerationibus per *Hæmorrhagias*, via atque exitus queritur.

Th.

Quæ res tanto minus negligi potest, nedum debet, in ejusmodi subjectis, quæ jam alias *sanguinis* evacuationibus, sive *directe*, sive qualicunque ratione, *adsuefacta* fuerunt. Sicut enim de tali negotio frustra certè in perpetuum est & erit, omnis *speculatio* Practicæ veritati non superstructa; ita, cum hæc, praxis inquam Clinica, attentæ observationi abundè demonstrat, quàm facile ventilationes *sanguinis* artificiales, corporibus illam promerentibus (*sanguine abundantibus*) adhibetæ, *consuetudinem* introducunt, ad simile subsidium iterum posthac respectantem, imo manifestis *apparatus* eò contendentem; facile erit, quod nudæ speculationi difficillimum videtur, comprehendere, quantum etiam utilitatis, imo passim *necessitatis*, habeant, *artificiales* tales, sive *subordinationes*, sive prudentes *repetitiones*, hujusmodi sanguinis ventilationum opportunarum.

Vocat autem hoc ipso ad se debitam considerationem, observatio illa, & velut experimentum, ipsius vulgi, tam circa efficaciam *scarificationis*, ad hujusmodi affectus *secessorios* vulgo habitos, moderandos quin auferendos; quam contrarii effectus, in qualemcunque *consuetudinem* adductæ scarificationis, posthac temerè rude donatæ; quomodo nempe hanc omissionem, impofterum demum *sequi* soleant, hujus census affectus, ut veri *effectus*, *catarrhi* atque *Rheumatismi*, diverforum schematum. Ut vel ex hac, vulgo satis nota, experientia, comprehendere liceat, quem, imò quantum, usum; ad *ventilationes* sanguinis, methodice; & maturo consilio, talibus affectibus adhibendas, habere possint.

Ubi tamen iterum, quod etiam jam sæpius, opportunis, occasionebus, egit Dn. D. Præses dehortamur, ne *aus-*  
*Sodæ*; intelligantur commendationes, *tempestivarum* lan-  
guinis

guinis ventilationum. Audiuntur enim utique & sæpius, & pertinacius, quàm quidem credere, nedum expectare, jus fasque esset, siue personarum respectu siue rerum, crudæ tales exceptiones, *ventilationem sanguinis nequaquam parem esse affectibus talibus tollendis*. Quod, uti nemo à nobis, cum considerantia, expectaverit, cum res ipsa contrarium abunde loquatur; dum nempe nusquam certe factum hoc invenietur, nec in mentem nobis, (certe harum rerum & similium, & adeo crasso modo ignaris,) venerit, ut in *nudis* sanguinis ventilationibus, *solis*, quod est in proverbio, proram atque Puppim totius curationis absolvendæ constitueremus: ita invenient tamen circumspicientes, quantum interfit, pro vera *Methodo*, causas *concurrentes*, in suo *ordine*, præcipue vero primas & veluti *fundamentales*, interceptisse, ut reliquus progressus tanto citius, pariter *in suo ordine*, inhiberi possit. Quid enim est, in quo *methodus* à pura *Empiria* differat, si hoc non est, ut secundum *ordinem* affectui occurratur atque succurratur, non vero una fidelia totus paries dealbetur atque oblinatur.

Th. XXXIV.

Inde enim certe est, quod tam sæpe, & possem optimo jure dicere, suffragante quotidiana experientia, communissime, etiam medicamenta, *in suo ordine* minime contemnenda, tamen nullum constantem effectum assequantur; quando non subordinata decenter *methodo* applicantur: sed nulla, aut penitus præposterâ, ratione, ingeruntur. Quid enim familiarius est, quàm patientes hujusmodi affectibus obnoxios, *quoties* illis afficiuntur, equidem curari siue sublevari, (quamvis hic etiam æquivoca curatio satis sæpe eximiam considerationem mereatur,) interim de *recursum* parium insultuum, tam parum Medicus aliquid veraci effectui consentaneum, sperare possit, nedum polliceri quam *patiens* experiri: non exiguo certe artis, sed unice ex *ai-  
μωδο*.



per *Medicā*, opprobrio. Unde iterum iterumque hanc confiderationem, veræ *methodicæ* utilitatis, commendamus.

Th. XXXVI.

Habent autem, ex eodem fundamento, etiam usus suos non contemnendos, imprimis pro affectibus horum generum *superiores* corporis regiones infestantibus, etiam *diversiones* horum generum sub *revulsionum* nomine antiquioribus laudata: Ubi v. g. *pediluvia*, aut, pro re nata, *inseffus* plane, prudenti applicatione, communissime, non contemnendos habent usus. Iterum vel ipsius vulgi experimento, ita manifesto & notorio, ut nullatenus mereatur contemni; dum in *capitis* gravationibus, a *pediluvio* manifestum levamen percipiunt. Quod, licet in adhibitione *amethodica*, nihil nisi temporarium, & velut evanidum, solamen præbeat; aut certe non ultra nudam *præsentem* molestiam, sive levandam solum, sive tollendam, se extendens: si tamen, post prægressam *universaliorem* justam ventilationem, in subsidium advocetur, præstat satis luculenter, quod de vera ejus efficacia assatim testetur.

Th. XXXVII.

Quamvis autem sufficere posset, directo, & quasi primario, scopo respondentem *Therapiam* ita indicatæ; quomodo nempe in hujusmodi affectibus, respiciendum veniat, ad ipsius *sanguinis*, sub iis latentes *congestiones* atque *resagnationes*, ut illis imprimis satis fiat: ita non tamen vel superfluum absolute erit, vel usui suo cassum, verbum adhuc adjicere, etiam de aliarum evacuationum, ad hos eosdem scopos, laudabili efficacia: ut, inquam, etiam jam aliquanto magis directe ad *serosas*, in talibus locis velut *adsuescentes* congestiones atque evacuationes, tanto melius satisfacere possit *justa methodus*. Cui nempe scopo satis commode ita subveniunt, tempestivæ etiam *Cathartes*. Cum enim ordinarium mucositatis *serosæ* emunctorium, sint ipsa intestina; quando incommodior ejusmodi, *repen-*  
*ina*

*vina*, aut plus minus *adsuefacta*, *translatio*, ad *caput* aut *pectus*, obtingit, revocata commode excretionē talis materiæ, ad justas suas vias, generali naturæ instituto ipsi debitas, tanto facilius deinde effectum suum fortiuntur, etiam reliquiarum veluti *discussiones*, & ulterioris ad hunc locum minus convenientem congestionis, *inhibitiones*: Quæ sine *methodica* tali revocatione, sæpe patientem, imprimis in *pectoris* affectibus humidis, propemodum in *suffocationis* periculum conjicit. *Expectorantia* vero stricte dicta, etiam *dirigunt* veluti ad pectus, & vere *purgantia per pectus* dici merentur; cujus rei, inter alia, unum velut palpabile exemplum sibi oblatum, D. D. Præses, tam alibi, quam in Pathologia sua, latius recensuit.

Th. XXXVIII.

Placet exemplum commemorare, quod paradigma rerum talium constituere possit luculentum. „Vir Illustriss. triginta quatuor ad sex annorum, procerus quidem atque gracilis, sed mollioris tamen atque teneræ constitutionis proferarum partium, plenæ atque lautæ diætæ, & generosissimorum vinorum potui adseruetus, itineribus frequentibus, tam equis cursoriis, quam veredariis, quas postas vocant, cursibus, diu multumque deditus *Errhinorum* etiam multo usui addictus, & ante plusculos annos violentiam valde sensibilem in capite passus, frequentiori *Coryzæ*, sed & non minus frequenti *Cephalalgie*, obnoxius redditus; cum ad vitam magis quietam revocaretur, sed & simul multam lectionem, pensationem, consultationem, imo sollicitudinem, offerentem, *Coryzæ* quidem illius rariores recursus inde sensit, tanto magis, cum etiam *Errhinis* nimis cito quasi valediceret: incurrit autem *Cephalalgias* non solum frequentiores atque diuturniores, sed eò usque etiam insolescentes, ut tam ab auræ immittioris afflatu, quam denique ab omni graviore, sonitu, statim, non solum cephalalgia illa recrudesceret, sed & tan-

„ta vertigo illi objiceretur; ut vix erectus stare valeret.  
 „Ingraveſcebant hæc eò usque, ut etiam pensitabunda le-  
 „ctione concitarentur, & ipsæ usque cogitationes obnubi-  
 „larentur. Percellebant hæc tanto magis animum, cum  
 „etiam Sclopeti explosio à multis passibus audita, imo vel  
 „januæ importunius ruentis sonitus, incommoda hæc, vel  
 „ad alterum quin tertium diem gravius duratura, provo-  
 „carent. Erat jam ver adultum, quo tempore inde ab u-  
 „no vel altero anno V. S. admittere consenserat. Factum  
 „nunc etiam est initium ab hac evacuatione. Subjuncta,  
 „per vices repetita, moderata quantumlibet, laxatio: da-  
 „ta catarrhalia atque discutientia, primo generaliora, &  
 „Sanguinis imprimis æquabiliori distributioni prospicien-  
 „tia: subordinata his tandem, ut vulgo censentur, catar-  
 „rhalia etiam specialiora: substituta tandem tonica propi-  
 „ora, sed interna. Ita benedicente Divina gratia, per tri-  
 „um circiter septimanarum decursum, ita, de tempore in  
 „tempus, subducta illa omnia pathemata, ut primo qui-  
 „dem auram quamlibet, magis magisque facile toleraret;  
 „mox capto primum experimento, & continuato in dies  
 „magis magisque, sclopetorum sonitu, atque bombardarum,  
 „subexcursionibus etiam venatoriis; tandem etiam,  
 „tanquam ultimi speciminis loco, satis largo vini potui a-  
 „liquando indulgeret. Qui ipse etiam, cum nihil usitati  
 „incommodi post se traxisset, visa ita absoluta cura, ad oc-  
 „cupationes suas reversus, nihil in posterum similiaum mo-  
 „lestiarum amplius perpeſsus est. Cum antea usurpata  
 „catarrhalia, cephalica, nervina, nihil nisi totum affectum  
 „velut ad sensum exasperassent. Vixit autem ab illo tem-  
 „pore, quartum jam annum, ab hujusmodi congestionibus  
 „reversus caput, restagnationibus, catarrhalibus & gravedi-  
 „nosis affectibus, per Divinam gratiam liber & immunis:  
 „quamvis insuper corpore toto ita auctior, & ut loquun-  
 „tur, corpulentior, ut a tali constitutione potius ejusmodi

D

catar-

„catarrhales affectus magis expectandi videri possent, qui  
 „tamen ad hunc diem quiescunt.

Th. XXXIX.

„Ita alius Vir Illustriss. paris ætatis, sed staturâ cor-  
 „poris, quâ longitudinem, mediocri, laxo verò & diffuso  
 „corporis habitu præditus, sanguineo, leviter Phlegmati-  
 „co, plenæ, & vinosæ diætæ; senserat ab uno vel altero  
 „anno, ingentem oppletionem pectoris, cum tussi, non  
 „quidem ita magna, sed tamen valde humidâ, quam etiam  
 „multo screatu profundius instituto, sublevare necesse ha-  
 „bebat: præcipuè, cum neque tussis, nec humiditatis illa  
 „copia, continuo quodam incubitu pectus obsideret, sed  
 „per tempestatum, anni temporum, & fortuitarum occa-  
 „sionum concursus, frequenter tamen, & faciliè, coariren-  
 „tur. Huic, adhibitâ primò omnium V. S. in pede; sub-  
 „iuncta una vel altera laxatione, per intervalla repetitâ, &  
 „subordinatis, tam turgefactiones sanguinis sedantibus,  
 „quam à pectore discutientibus: repetita interim, per æ-  
 „quinoctia, dicta V. Sne, in tertium annum liberrimum  
 „redditum est pectus. Cum autem autumnò illius anni,  
 „V. S. in pede, per tonsoris imperitiam, non successisset,  
 „& in ejus locum, usitatis horum artificum tribui persuasio-  
 „nibus, in brachio secta esset vena, cœpit non tantum ab  
 „illo tempore oppletione tali pectoris iterum infestari, sed  
 „incurrit etiam, conspirantibus externis occasionebus, pe-  
 „riculosam pleuritidem: cui commodum accidit, ut insu-  
 „per habitis (qui hodie sunt dissensus medentium) dissua-  
 „sionibus, V. S. ad instantiam Dn. Patientis, neque quidem  
 „parca, adhiberetur: unde ad sensum ipsam, levamen pa-  
 „tienti obtigit, & liberari contigit. Cum vero post hac  
 „pristinam illam methodum denuo sequeretur, vixit ite-  
 „rum ad hunc diem, benedicente Deo, ab incommodis  
 „circa pectus incolumis.

Th. XL.

Th. XL.

Civis honestus, tantam subinde, diuturnam, & per temporis atque tempestatum mutationes ingravescentem, tusum, valde humidam, tolerabat, ut pro Phthisico, sibi aliisque tanquam indubiè haberetur. Habitus corporis melancholico sanguineus est, diæta verò plena, & Plethoræ, ex ipsis vasis undique turgentibus conspicua, indicia. Usurpata variæ opinionis remedia pectoralia, nihil prode- rant, quin potius magis magisque invalescerent omnia illa incommoda. Cum auscultaret monitis, remonstrations quoque comoda munitis, ut sanguinis potius ventilatio- ni studeret; tempestativis in pede V. Sbus, cum paucissi- mis subjunctis medicamentis, ita manifesto liberatus est, ut vix levia incommoda per insignes occasiones repullula- rent. Cum autem Autumno aliquo V. S. omisisset, inci- dente animi commotione, in oppletionem pectoris prola- psus est, propemodum suffocativam, eamque repentinam. Missus est, post horam nonam noctis, sanguis e brachio; unde intra paucas horas dissolutâ omni angustâ & anxie- tate, cum inde, tanquam palpabili experientia, tanto magis apud ipsum valeret consilium observandæ hujus metho- di, vivit ille ab eo tempore, favente Divina gratia, duode- cimam jam annum, & quidem ab ejusmodi circa pectus in- fultibus ita liber, ut vix umbra antiquorum pathematum aliquando repullulantium superfit. Longum autem esset, plura hujusmodi exempla commemorare.

Th. XLI.

Sufficere interim hæc possunt, ad confirmandam sen- tentiam, quam professi sumus, quod, cum *secessiones* atque *resignationes serosorum* humorum, non possint fieri, nisi ab appulsu *totius M. S. eæ* largiore, ad talia loca; multo au- tem probabilius sit, appulsus illum, per modum *destima- tæ congestionis*, potius fieri propter *Sanguinem* ipsum, e- jusque *ventilationem* Hemorrhagicam, quam proprie pro- pter

pter *ferosam* colluuiem; Quod, inquam, in *artificiali* quoque ventilatione *sanguinis*, longe certius fundamentum collocandum veniat, quam vel in *correctione*, vel *evacuatione*, *feri*: adeoque vel *qualitate* ejus, vel *quantitate*, directe accusanda, aut artificiose corrigenda. Unde ad minimum magna circumspectione opus esse judicamus atque discretionem, ubi aliquid revera *fero* imputandum veniat: aut ubi potius sanguini: & quomodo veris indicationibus circa hæc negotia inveniendis & recte implendis, animum adjuvare conveniat.

Quibus quidem contemplationibus, proposito nostro satisfecisse confidentes, Deo, pro præstito clementissimè auxilio, humillimas gratias nuncupamus.

S. D. G.



Ua 5376<sup>c</sup>

ULB Halle


3

001 500 18X



sb.









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**SECESSIONIBUS  
HUMORUM,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU,  
PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. OR-  
DINAR. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FA-  
CULT. MEDIC. h. t. DECANO SPECTATISSIMO,  
DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO  
*omni Observantiae atque Honoris cultu et aeternum colendo,*

**PRO GRADU DOCTORALI,**  
Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis,  
More Majorum Solenni obtinentis,

*Ad d. Aug. M DCC XII, horis ante & pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI  
Publico Eruditorum Examini submittet

**CAROLUS Grombold**  
Rochl. Mifn.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.